

que primo Physico capite 7. ad idem hoc propositum adducta: ἀμούσου, μετασχηματίσεως^{viii}, προσθέσεως, ἀφαιρέσεως, συνθέσεως, ἀλλοιώσεως, ἀταξίας, ἀμορφίας, ἀσχημοσύνης, *inepti*^{ix}, *transfigurationis*, *additionis*, *ablationis*, *compositionis*, *alterationis*, *inordinationis*, *informitatis*, *infigurationis*? Quae itidem non tantum essentiales formae non sunt, sed ne accidentales quidem, cum omnes sint privationes.

Cur itidem subiectum ac materiam harum aes et lapidem et ipsummet aurum in Platone reprehensum pro materiae declaratione affertur? Sed verba illa ultima:²⁵ *Sed elementis existentibus solidis usque ad superficies facit resolutionem: impossibile vero materiam primam superficies esse, non minus sunt detorta quam reliqua omnia.*

Neque enim id vult Plato, ut superficies sint prima materia, eam enim descripserat:²⁶ *Invisibilem quandam speciem et informem, omnium susceptivam.* Quae passiones nec pyramidi nec trigonis nec superficiebus aliis convenire possunt superficiesque has non materiae tribuit Plato, sed elementis, non quatenus ipsis materia subiiciatur parsque illius ignita ignis sit et humida sit aqua, sed quatenus corpora sunt, sic enim post absolutam materiae tractationem scribit de elementis.²⁷ *Primum quidem sane ignis et terra et aqua et aer, quod corpora sunt, manifestum cuique corporis autem forma omnis etiam profundum habet, profundum rursus omnino necessarium est superficialem comprehendisse naturam, recta autem su-*

²⁵ ἀλλὰ τῶν στοιχείων ὄντων στερεῶν μέχρι ἐπιπέδων ποιεῖται τὴν ἀνάλυσιν. ἀδύνατον δὲ {τὴν τιθήνην καὶ} τὴν ὑλην τὴν πρώτην τὰ ἐπίπεδα εἶναι. [ARIST. GC 329a.21 – 24]

²⁶ ἀόρατον εἶδος τὶ καὶ ἀμορφον, πανδεχές [PLATO, Ti. 51.a.7]

²⁷ πρῶτον μὲν δὴ πῦρ καὶ γῆ καὶ ὕδωρ καὶ ἀήρ ὅτι σώματά ἔστι, δῆλον που καὶ παντί. τὸ δὲ τοῦ σώματος εἶδος πᾶν καὶ βάθος ἔχει. τὸ δὲ βάθος αὖ πᾶσα ἀνάγκη τὴν ἐπίπεδον περιειληφέναι φύσιν· οὐ δὲ ὁρθὴ τῆς ἐπιπέδου βάσεως ἐκ τριγώνων συνέστηκε. τὰ δὲ τριγώνα πάντα [ἄπαντα] ἐκ δυοῖν ἄρχεται [ἄρχονται] {τριγώνοιν}, μίαν μὲν ὁρθὴν ἔχοντος [ἔχοντας], τὰς δὲ δύο ὀξείας· [PLATO, Ti. 53.c.4 – d.2]

^{viii} Corr. ex μετασχηματήσεως

^{ix} Corr. ex *ineptae*